

At Mariam verè Apathem fuisse, imperturbabilem omnino, & impatibilem extitisse, hoc est, nullis obnoxiam pravus, atque à ratione averfis motionibus, apertum esse docet S. Patriarcha; addita item ratione, scilicet virtutis abundantia, de qua vide Suarez citatum: Quod si ad argutias concionatorias aliquid velis, consule Celadam nostrum in Tract. appendice de Judith figurata §. 2.

658 Audiendus etiam Sanctus Damasc. Orat. 1. de Nativitate Mariæ; ubi ita: O divinum, ac vivum simulachrum, ad quod opifex Deus inventus est, mentem quidem divinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem: Cupiditatem autem omnem ad id, quod solum expectandum, atque amandum est, intentam; iram verò adversus peccatum dumtaxat, ipsiusque parentem. Vides irascibilem, & concupiscibilem, utramque appetitus facultatem; hanc amantem bonum, illam semper malum detestantem? Addit; Appetitus tuus in hoc situs est, ut divinis sermonibus nutriaris. Vide appetitum cum sensitivis omnibus, & animalibus Passionibus, quas ipse alit divino præcepto semper obtemperantem. Multa præterea addit S. Doctor in eam rem lectu dignissima. Et quid aliud contendebat S. Petrus Dam. Sermon. 3. de Nativitate B. Mariæ? Quid rogo vitii in ejus mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar celi plenitudinis totius divinitatis meruit esse sarrarium? Nihil vitii in corpore Mariæ esse potuisse asserit. Hoc quid aliud est, quam corpus alere ab omni vitii fomite alienum? Quid aliud, quam vitiorum omnium causas amovisse, perturbaciones, affectus, motus à ratione alienos, animales scilicet passiones.

§. VIII.

Virginis creatio cum Adami, & Evæ creatione comparatur.

Genes. 1. 26.

Marianæ anima creatio cum perfecta corporis absolute, respondet Adami creationi.

Anima pro homine: homo est anima. S. Basili.

659 In illo ipso die sexto præstantius animal absolutissimæ sapientiæ, supremæ potentiæ, singularisque bonitatis; microcosmus, imò megalocosmus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c. Et factum est vespere & mane dies sextus. Quid ergo in Mariano mundo hominis creationi simile? Animæ omnino creatio cum perfecta articulationi corporis absolute. Etenim licet sexta hora nihil aliud restaret creandum quam Virginis anima, haud incommodè homini conferretur sexta die creato. Nam anima pro toto homine capi multis probavi à numero 110. Divinus Plato lib. de natura hominis, hominem contendit nihil esse aliud, quam animam; corpus verò hominis servum, cui ipse debeat imperare. Qua de re vide S. Basilium Orat. 22. de Anima; ubi inter alia; Animus quidem nos sumus, quatenus ad similitudinem, & exemplar conditoris facti, & creati sumus: res nostræ sicut corpus, ac sensus, quibus illud pradiatum est, &c. Quod fusè persequitur, & eleganter. Sed tamen negandum non est, sicut corpus hominis sexta die, utpote hominis partem, fuisse in propriam formam organicam absolutum, atque animæ per divinam virtutem unitum, quod disertè testatur Moyses Genes. 1. & 2. ita sexta hora & corpusculum Marianum univèrsis organis ultimò instructum fuit; atque univèrsis dispositionibus ad

animam excipiendam apparatus; quæ Virginis foelicissima anima ad imaginem & similitudinem Dei eadem sexta hora condita fuit, & ejus corpori unita.

660 Igitur sicut sexta die creaturus hominem Deus inspiravit in faciem ejus spiraculum vita, & factus est homo in animam viventem: ita Sanctissimum Deiparæ corpusculum divino suo Spiritu afflans Deus animam exfufflavit: nam per divinum Spiritum conceptionem Virginis peractam, supra statuimus & explicuimus quomodo ad imaginem, & similitudinem divinam facta fuerit Deipara Virgo; & nonnulla diximus de impolluta Mariani corporis materia. Qualis verò quantaque Mariæ anima, aperit S. Gabriel hæc S. Amadeo revelans in suæ Apocal. Raptu 4. Facta sunt omnia in sex horis. Tunc Deus noster magnus, & potens creavit animam perfectam, habentem omnia dona, omnem scientiam, sive omnes intellectus, & similitudines omnium, sicut & nos Angeli, qui accipiendo unicam similitudinem, divina videlicet naturæ, omnium rerum similitudines accepisse dicimur.

In ea ipsa die Eva producitur à Deo ex latere Adami, cui Mulier sociata datur, & adiutorium simile sibi. Hæc quo pacto Mariam spectent, dixi supra à num. 524.

661 Unum dumtaxat his addiderim, quod Moyses subrexit post absoluta opera sex dierum Genes. 2. 1. Perfecti sunt celi & terra, & omnes ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat; & requievit die septimo ab universo opere, quod pararat. Et benedixit diei septimo; & sanctificavit illum. Ad quæ verba adlusit planè Mariam laudans S. Damascenus Sermon. de Annunt. S. Damasc. Cum fecerit Deus (ait ille) omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit. Consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post multus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inveniret. Eximia est S. Ambrosii sententia lib. 6. Hexaem. cap. 10. Fecit celum, non lego quod requieverit; fecit terram, non lego quod requieverit; fecit solem & lunam & stellas; nec ibi lego quod requieverit. Sed lego quod fecerit hominem, & tunc requievit habens cui peccata dimitteret. Si ea fuit requie ratio, hominem à peccato mundasse; quæ, quantaque requies Domini à peccatis omnibus Mariam mundissimam præservasse? Aliam etiam assignat S. Doctor, hujus requie rationem: Requievit autem in recessu hominis, requievit in ejus mente atque proposito; fecerat enim hominem rationis capacem imitatorum sui, virtutum emulatorem, cupidum celestium gaudiorum. In hunc requievit Deus, qui ait; Super quem requiescam, nisi supra humilem & quietum, & trememem verba mea? Si quietum, si humilem, si celestium capacem, si universitatis summam hominem condidisse, id requiem Conditori conciliavit: quanto potiori jure dictum, Mariam conditam, requievisse Deum ab universo opere, quod pararat? Tanto profectò, quanto in illa mundus melior reffectus, ac restitutus. Merito Rupertus Cant. 1. vocat Virginem locum requieci divina. Et Chrysippus Orat. de Beata Virg. requiem Dei. Et Sanctus Bernardus tom. 3. Sermon. 11. a. 2. cap. 1. ita sapienter: Vocant Beati Virginem gloriosam requiem Christi, non tantum quia in ea novem mensibus requievit, verum etiam quia plus per quietum amorem requievit

Genes. 2. 1.

Qualis, quantaque fuerit Maria anima.

S. Amade.

Requievit Deus die septimo in Maria quasi jam condita immuni ab omni vitio.

S. Ambros.

Rupertus Chrysp.

S. Bernard.

requievit in ea quam in tota alia creatura rationali. Sicut Ecclesi. 24. ipsa Beata Virgo testatur: & qui creavit me requievit in Tabernaculo meo.

Benedictio à Deo data diei septimo ad Mariam absolute conceptione spectabat.

Albert. Mag.

S. Antonin.

662 Illa autem Dei benedictionem diei septimo datam, ad Deiparam sic transfert Albertus Magnus super Missus est, cap. 201. Prima benedictio est illa, qua benedixit Deus diei septimæ, in qua requievit ab omni opere, quod pararat. Est autem benedictio operum consummatio, & æterna requie præfiguratio. In Beata Virgine fuit perfectè operum consummatio, quia omnia creata in uno homine uniantur cum creatore; & primum su ultimum & ultimum primum: non enim est perfectio motus nisi in circulo. In ea non solum fuit futura requie signum, sed etiam causa. Si ergo dies septima est benedicta propter sabbatum diei, & tamen excelsior est sabbatismus recreationis, quam creationis: ergo etiam major benedictio: in omnibus enim requiem quesivit Ecclesi. 24. & in ipsa sola invenit, in qua invenit omnia quæcumque quesivit; unde & in Tabernaculo ejus requievit. Hinc Mariæ obsequio lucem, & festum sabbati datum, ab initio Ecclesiæ, dixerim, quia ea die concepta, vel nata fuit, quasi Dei ipsius, hominum, & Angelorum requies, ac Sanctissimum reclinatorium. Reclinet Sanctus Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 4. §. 2. ubi de sabbati benedictione, & sanctificatione: Sanctificavit statuens eam diem septimam in veneratione haberi à fidelibus in honorem Virginis: non quidem abstinendo ab operibus manualibus, ne videamur judaizare, sed jejuniando, orando frequentius, & elemosinas dando. Ex dictis ergo tota hac Sectione liquidò claret, quæ ratione B. Virgo ex ore Altissimi prodierit ut Mundus specialissimus Mundo mundior, vel à puncto suæ formationis.

SECTIO XXIV.

EX PRIMOGENITÆ JURE, & nomine suadetur immaculatus Deipara conceptus.

§. I.

Primogenitorum jura prælibantur.

663 Magna Mater dum se ipsam nominat primogenitam ex ore Altissimi prodeuntem ante omnem aliam creaturam, suam utique ab originali delicto immunitatem, innocentiam, & illibatam puritatem suadere nititur, atque contendit. Ut enim pulchrè ac sapienter S. Joan. Damasc. Orat. 1. de Nativitate Mariæ, loquens de Joachimi, & Annæ sterilitate, & Virginis primogenitura: Quoniam itaque futurum erat, ut Dei genitrix ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fatum antevertere non est ausa; verum tantisper expectavit, donec gratia fructum suum produxisset. Virginem certè non imbecillæ, ac sterilis naturæ foetum, sed gratiæ ipsius præcocem fructum esse affirmat, utpote quæ miraculosè concepta, & ab eo temporis puncto illuminata fulgentibus justitiæ originalis radiis. Cujus privilegii eam assignat rationem: Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ verum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. Ac si diceret: Futura erat Virgo Dei ipsius Primogenita Christum Dominum paritura, operæ pretium fuit, ut præ-

S. Damasc.

ter aliorum ordinem, evaderet ipsa non naturæ vitiatæ, sed gratiæ Primogenita. Rectè ergo ex primogenituræ dignitate concluditur in Deipara immaculatus conceptus.

664 Ut autem his novum splendorem conciliemus, levi calamo percurrenda erunt primogenitorum jura ex sacris litteris, & ex iis, quæ eruditissimus Tiraquellus latè scripsit de Jure primogenitorum. Primò ex conflanti omnium gentium consuetudine, ipsa naturà duce, debet primogenitus filius à reliquis fratribus honorari ut superior, ut dominus, ut observat S. Chrysof. 5. adversus Judæos, & sacri Interpretes ad illud Genes. 27. Genes. 27. 29. ubi Isaac ad Jacob primogenitum: Esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Et rursus vers. 37. Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi. Et Jacob benedicens Ruben primogenitum Genes. 49. 3. Genes. 49. 3. vocat priorem in donis, majorem in imperio. Debeatur etiam primogenito regnum, ut claret ex 2. Paral. 21. 3. ex Josepho lib. 14. Antiqui. c. 1. & ex S. Hieronymo Epistola ad Onagrium.

665 Secundò, peculiari veste, eaque pretiosiori, & odorifera utebatur primogenitus præsertim in festivitibus & actionibus solemnioribus. Patet ex Genes. 27. vers. 15. & 27. ubi de vestibus Esau valde bonis, & odorem, exhalantibus. Addunt S. Hieronymus, Glossa, Lyran. & alii juxta Hebræorum traditionem, eas vestes fuisse Sacerdotales, quibus induti primogeniti Deo victimas offerebant officio sacerdotum fungentes. Vide nostrum Mendozam in Viridario lib. 8. Saturnaliorum Deca. 7. cap. 4. fol. 295.

666 Tertio, primogenitus ad dexteram Regis sedebat, utpote locum digniorem, validiorem, & præstantiorem. Probat Tiraquellus ex Jure, & Juris prudentibus, imò & ex cap. 48. Geneleos, v. 13. ubi Josephus primogenitum suum ad dexteram statuit Israel. Observat autem Tiraquellus numero 16. apud priscos, si quid firmum, & illibatam esse volebant, illud dextera sancivisse.

667 Quarto, Filia ultimò genitæ ancillaria in primogeniti domo officia demandabantur; ut Tiraquel. probat num. 51. ex Homero lib. 3. Odylsæ.

668 Quintò, aquam auream Rex tantum & primogenitus bibebant. Probat Tiraquel. in 30. ex Agatocle, & Athenæo. Et aquam auream Perfæ appellabant aquam ex anni Euleo decoctam, & in argentea, seu aurea vasa diffusam.

669 Sextò, primogenito filio debebat Pater clavem, & annulum custodiæ causâ tradere: uti Tiraquel. probat num. 131. ex l. Cùm pater, §. Pater pluribus, ff. de l. 2. & ex multis Juris consultis.

670 Septimò, insignia domus, quæ vulgò armas vocantur, debebant apud primogenitum remanere. Ita Tiraque. ex Guill. Monferrat. Tractatu de Success. Regū, & ex Baldo in l. ult. in fine C. pro socio, quòd arma nobilium remanent apud principalem domus, quia in ipso tantum in capite stat splendor genituræ.

671 Octavò, primogenita solent esse pulchriora, & robustiora; ut patet ex Deut. Deute. 33. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo 17. ejus. Subinde Baldus in 1. Const. ff. §. itaque. colum. 2. scripsit, cum dubitatur uter minorum sit primogenitus, præsumendum, fortiosorem, ac robustiorem prius fuisse natum.